



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

836. An casu, quo illegitimus obtinuit beneficium in Ecclesia, in qua pater ejus habet, aut habuit beneficium, possit illud pernautare cum alio extra illam Ecclesiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)



concessa, argumento *c. non potest, de prob. in 6. c. Ordinarium, de offic. Ordinar. in 6.* dispensatus ad beneficium, quod quis dimittit, non potest vi illius dispensationis aliud ei subrogare. Caltrop, *de benef. d. 6. p. 3. §. 3. n. 10.* Gonz. *gl. 14. n. 56.* ubi, postquam dixisset, quem admodum prohibitus acquirere de novo, non prohibetur permutare, ita etiam in puncto juris dispensatus ad unum beneficium tantum, potest illud permutare pro alio, ut asserunt Jo. And. & Franc. *in c. non potest, de prob. in 6. Gamb. in c. 1. de rer. permut. in 6. n. 79.* Crescent. *decis. 2. n. 6. de reb. Eccl. non alien.* subdit: *Contraria tamen doctrina de stylo Curia in praxi servanda, juxta decis. Rotae decis. 1. de filii presb. in novis.* Azor *p. 2. l. 7. c. 29. q. 14.* ubi id sic exemplificat. Titius à Papa dispensatus ad habendum simul duo curata, non potest unum ex illis permutare cum alio simili beneficio curato; quia indulgentia seu dispensatio Papæ, utpote odiosa non extenditur ad alia, sed in duobus primis finitur; citat pro hoc Federic. *de Senis de permut. q. 12.* Agid. *eod. tr. p. 3. q. 7.* Ubald. *eod. tr. n. 5. & 6.* Unde jam deducit Azor cum Federic. & Ubald. Quod si talis de facto permutet illorum unum coram Ordinario, ratam quidem esse ademptionem illius beneficii, quod de novo recipit (cujus contrarium, nempe non valere ademptionem hanc secundi beneficii, vel tertii in habentibus duo ex dispensatione Papæ, nisi duo prima dimittat, tenet Lapus apud eundem Azor) eo ipso tamen amittere & illud, quod permutat cum alio; quia illud dimittit, & alterum, quod prius cum eo simul habebat, quoque perdere; eò quòd illud per ademptionem tertii illius beneficii curati vacet. Proinde, ut idem Azor, teste Miles *in repertor. v. permutatio.* solet à Papa impetrari plena facultas, ut nempe possit aliquis ea duo beneficia simul habere, vel alterutrum, aut utrumque dimittere, & alia similia obtinere.

*Quaestio 835. An mente captus, senex, infirmus permutare possint?*

1. Respondeo ad primum negativè: Cum enim talis usu rationis, & sic consensu careat, donare, alienare, simileve quid facere nequeunt. Chok. *de permut. p. 1. c. 29. n. 1. & 2.* Card. de Luca *de benef. d. 4. n. 3.* Valebit tamen facta à tali permutatio extra tempus amentia, nimirum tempore lucidi intervalli. Chok. *loc. cit. n. 4.* plura de his, uti & num permutatio facta praesumatur tempore amentia, vide apud eund. & Cardin. de Luca *loc. cit.* ubi etiam, ex Menoch. *l. 1. presump. 18.* quòd, cum amentia non praesumatur, sed perfectè & concludenter sit probanda, uti & dicta à nobis supra, ubi, an tales resignare possint.

2. Respondeo ad secundum, & tertium: Permutationem factam à senè praesumi fraudulentam, uti & factam ab infirmo. Paris. *l. 13. q. 4. n. 6. & 7.* permutationem autem factam fraude esse nullam. Paris. *ibid. n. 5.* Porro qualiter in infirmis resignantibus permutationis gratia locum habeat regula de infirmis resignantibus, vide dicta supra, ubi, in quibus resignationibus hæc regula locum habeat.

*Quaestio 836. An casu, quo illegitimus obtinuit beneficium in Ecclesia, in qua pater ejus habet, aut habuit beneficium, possit illud permutare cum alio extra illam Ecclesiam?*

Respondeo affirmativè: Sic enim Trid. *sess. 25. c. 15.* disponit, talem id posse, quin & talem

cogendum, ut resignet, vel extra illam Ecclesiam permutet intra tres menses, alias ipso jure privatus existat, & super iis quæcunque dispensatio subreptitia censetur. Chok. *de permut. p. 1. c. 30. n. 1.* De cetero filius legitimus Presbyteri non solum non cogitur tale beneficium, quod habet in Ecclesia, ubi Pater ejus habet, aut habuit, dimittere; sed etiam per viam permutationis obtinere beneficium in Ecclesia, ubi Pater illius habet, vel etiam praesidet, non tamen illud, quod Pater ejus proximè habuit. Chok. *ibid. n. 3.*

*Quaestio 837. An valeat permutatio pro tertio?*

Respondeo negativè: Permutatio enim debet esse inter duos, & damnatur permutatio triangularis, aut quadrangularis; veluti si resignet meum beneficium in favorem Petri, ut is resignet meum, non in favorem mei, sed in favorem Joannis. Gonz. *gl. 14. n. 58.* Ventrigl. *to. 2. annot. 4. §. 2. num. 33.* Garc. *p. 11. c. 14. nu. 21. & 22.* citans Suar. *l. 4. de simon. c. 35. nu. 18.* Azor *p. 2. l. 7. c. 30. q. 6.* Lessius *l. 2. c. 35. n. 87.* Federic. *de Senis de permut. q. 40. in fine.* Nav. *conf. 43. de simon. n. 3.* & plures alios. Et talem permutationem triangularem factam coram Ordinario simoniacam dicunt Gonz. Azor. Less. & alii passim. Porro licet coram Ordinario expediri nequeat. Gonz. Ventrigl. Azor. Less. *loc. cit. num. 88.* testatur tamen Gonz. *loc. cit. n. 60.* Papam tales triangulares permutationes hodie non admittunt. Possent nihilominus etiam coram Ordinario eundem finem obtineri duplici permutatione coram eo facta; dum nimirum ego resigno Petro meum, & ipse mihi suum, & dein habito beneficium Petri illud permutem cum beneficio Pauli, quod primitus intendebam habere; tradit Less. *loc. cit. n. 88.*

*Quaestio 838. Num permutare quis possit cum minus digno?*

1. Respondeo: Præter ea, quæ dicta sunt super hoc in puncto de resignante in favorem minus idonei, quàm est resignans; hæc enim eadem locum habent in permutatione, ut Azor *p. 2. l. 6. c. 15. q. 10.* Illicitam omnino esse permutationem, non secus ac resignationem cum notabiliter minus digno, peccatque (graviter aut leviter, prout per hoc notabile, vel minus notabile damnum inferretur Ecclesie) tam permutans, quàm permutationem admittens. Hic quidem, quia tenetur ex fidelitate ad minimum, & Justitia legali Ecclesie bonum promoveri, & damnum ejus impediri; quin & ex Justitia distributiva ejus bona non distribuere in ejus damnum. Ille verò quia est causa iniquæ collationis, & damni Ecclesie; et si enim resignans & permutans non sit distributor, non potest tamen iniquam distributionem petere & procurare, & sic adhuc esse causa damni Ecclesie. Ita Passerin de Elect. *c. 30. q. 9. num. 133.* qui etiam hinc inferret, contingere posse, ut neque sufficiat vitandum peccatum resignare vel permutare cum æquè digno, v. g. si Rector beneficii sit senex, & is, cui resignat, vel cum quo permutet, sit juvenis, & non desint digniores, quibus committi poterit cura illius Ecclesie in brevi vacatura; eò quòd tunc non fiat permutatio sine notabili damno Ecclesie, ac ideo per se loquendo licitè fieri nequeat.

2. Nec obstant auct. Passerin. Primò, quòd iura tantum loquantur de eligentibus, præsentantibus